

rogari, siquidem filii ipsius ecclesie nostris aspectibus assistentes viva voce et filium ipsius ecclesie et se nimirum elegisse eum professi sunt, quod nobis sanctorum patrum exempla versantibus satis tutum esse visum est. Nam ut pro huius episcopi translatione domesticis utamur exemplis, beatus Petrus princeps apostolorum relicta Antiochia, quod in decretis Antherii papę legitur, Romam predicationis curam transtulit, Marcus Alexandria Aquilia commutavit, Eusebius quoque sua ecclesia dimissa Alexandriam abiit, Felix Ephesum, Gregorius relicta Capadocię civitate primum Nunciacum, deinde Constantinopolim demigravit et per plures alii suas mutaverunt ecclesias, quorum, qui scire velit nomina, in ecclesiasticis requirat historiis aliisque sanctorum patrum edictis. Unde ea, qua fratri compati convenit, ratione commoti predictum Giselharium episcopum, qui non cupiditate hunc honorem affectatum, sed electione atque petitione filiorum, ut diximus, subiverat, suadentibus et assentientibus conprovincialibus episcopis cum universo Romanę ecclesie ordine Magdaburgensi ecclesie sanctę archipresulem prefici pallioque donari decernimus, ut prefatę ecclesie presit pontificali iure, et quicquid in ea divini negotii gerendam sit, ipse dum vixerit, administret. Recitata est etiam epistola ab Hildeuuardo episcopo Halberstatensis ecclesie delata humiliter expetens, limites suę diocesis et Magdaburgensis confusos, ne discordiis locus pateat, nostra diffinitione discerni, unde inter confratrem et coepiscopum nostrum Adalbertum archipresulem et Hildeuuardum lites inmensas exortas pene usque ad homicidia didicimus profecisse. Sed nos, quibus deo propicio potestas est, iniusta refringere, queque deo digna facta fuerint, confirmare, apostolica censura sancimus, ut Giselharius sui que successores tantum de parrochia Haluerstatensi teneant, quantum decessor noster papa Iohannes Ottone imperatoris nostri spiritalis filii patre dictante diligens inquisitor asscripserit. Et ne urbs illa Mersiburch laudis divine decore privetur, sedit animo, in memoriam sancti Laurentii martiris ut ibidem monasterium sub monachice professionis ordine construatur. Et ut hoc nostre deliberationis decretum stabile fixumque permaneat, visum est nobis, presentium episcoporum subscriptione firmari et episcopo Moguntino, Treverensi, Coloniensi, Adalago omnibusque Gallie et Germanie episcopis assensus sui subscriptione dirigi roborandum, ut, quod in Romana ecclesia nuper actum est, ipsorum iudicio conprobetur, idque districte apostolica auctoritate Gallie et Germanie episcopis edicimus, ut sine contradictione a nobis ordinato episcopo subscribente his nostris decretis viva voce confirmando subscribant in unum convenientes presentibus Romanę sedis legatis.

## 31.

*Kaiser Otto II. eignet dem Erzstift Magdeburg die Stadt Choren im Gau Dalaminza in der Grafschaft des Grafen Richtag zu.*

**Bei Matera, 983 Jan. 31.** 35

*Hdschr.: Or. Perg. Geh. Staatsarchiv Berlin.*

*Gedr.: Eccard, Historia gen. Sax. sup. 187. — Boysen, Magazin I. 205. Stumpf 816.*

*Ann.: Vergl. Einl. 15 Ann. 45. S. A. 25 Ann. 45. In dorso: De urbe chorin nominata (Saec. XII).*